

universitatis aperiri ac legi fecimus tenoremque eorundem masticavimus que in se ambiguitatem propter causas diversas et desperatas contineri comperimus. Prima namque littera seriem requisitionis domini nostri gratiosi episcopi Nuenborgensis continuit, secunda ordinariam vestram iurisdictionem ut apparet emicuit, que videntur ex sinistra emanare radice. Qua de re vestram paternitatem, quam hucusque semper invenimus universitati 5 nostre favorosam, rogamus prece qua possumus, quatenus nostre universitatis intuitu ac precum nostrarum contemplacione huiusmodi ut prefertur contra libertates ac privilegia alme universitatis nostre, cuius gratia vestra cancellarius unicus ac conservator bene meritus existit in dampnum, decrementum ac confusionem non modicas ablatos, vinctos, 10 mancipatos ac incarceratos, que clare in se continent, quod rector habet ordinariam iurisdictionem in omnia supposita universitatis nostre ꝛ. velitis nobis gratiose cum tali honore quali heu dedecore per cives clam et occulte ablatos presentare; evanuit namque volatilis lamentosa vox universitatem nostram nutrire, domesticare ac fovere diuque nutritivisse implicitam scintillam heretice pravitatis, sonans in ruinam et devastationem non modicam universitatis eiusdem, cum tamen universitas semper parata fuit, prout hodie est, vestre 15 paternitatis cum auxilio unicuique de suppositis querulantibus plenam ac omnimodam realem administrare iustitiam, qui si in aliquo fore facto quod absit infectionis spectantis ad correctionem paternitatis vestre, nullatenus universitas se aliquo modo intromittere intendit, sed vestre paternitati sedule obtemperabit, eadem indicatura. De violenta autem manuum iniectioe civium in personas prefatas timemus eos sententias canonis 20 non evasisse nobisque ab impeticionibus eorundem resilire non licere. Ius enim nulli gremium claudit, favens cuique iusticiam suam prosequi, quod desideramus nobis fieri sicuti paternitati vestre vultis inviolabiliter observari. Alioquin de rescissione ac violatione privilegiorum ac libertatum alme universitatis nostre licet inviti compellimur utique causari sive querulari facientes in hiis, quemadmodum universitas de vestre paternitatis 25 gracia fiduciam gerit effectivam. Datum Lipczk dominica quasimodogeniti anno ꝛ. XLVI. rectoratus sub sigillo.

Rector ac tota universitas alme universitatis studii Lipczensis.

76.

Antwort des Bischofs Johannes von Merseburg auf das erste von der Universität an ihn gerichtete Schreiben. 30

Merseburg, 1446 Apr. 26.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 327^b—328^a.

Iohannes dei gratia episcopus Merseburgensis.

Sincera caritate premissa. Venerabiles dilecti. Rescripsistis nobis quod scripta nostra duplicia in causa dominorum vestre universitatis suppositorum, Burckardi videlicet 35 et Iohannis Scheff, per nos iam in vinculis detentorum, recepistis atque in plena congregatione tocius universitatis lecta masticabatis diligenter, que non plene sed sub ambiguo principalem nostram intentionem vobis designabant.